

FK 135
4

IIc
934


*de scriptoribus graecis quos Gualtero
anno legendas columnas dicit*

X 23A6833

LECTIONES
 PER INTEGRI ANNI SPATIVM,
 A FESTO S. MICHAELIS clō Iōcc XXXIX
 AD IDEM clō Iōcc XL,
 SVMMO
 D E O
 ANNVENTE
 ET
 SERENISSIMO
FRIDERICO,
 PATRIAE PATRE OPTIMO,
 PROTEGENTE,
 SPECTATISSIMORVM CHRISTIANEI CVRATORVM
 AVCTORITATE,
 CLASSIS VTRIVSQVE SVPERIORIS
 DOCTRINAE ALVMNIS
 TRACTANDAS
 INDICIT
 M. IOH. DAVID GSCHWEND, R.

EISENBERGAE,
 LITTERIS B. FLEISCHERI DVICAL, TYPOGRAPHI VIDVAE.





Quidem non pauci rerum varietate et usu perdocti, quantum in ipsis fuit positum, studium adhibuerunt, ut directum iter, apertamque et simplicem viam ad solidae eruditionis culmen perveniendi monstrarent. Etenim, quod ob involutam densis obscuritatibus, ut coniectura auguror, non paucorum methodum satietatem et litterarum odium bonas cepisse mentes viderunt: has scriptis iisque perpolitis ad suavitissimum bonarum artium complexum et contubernium ausi sunt reducere. Quamvis vero litteris et memoria celebratus *Iob. Ludon. Vines* duo libros de ingenuorum adolescentum et puellarum institutione scripserit; *Pli. Melanebroni*, magnum illud eruditi orbis lumen, de aperiendo ludo litterario consilia haut contenenda aperuerit et ad discentium captum accommodata praeluxerit methodo; aliique famae celebritate conspicui viri, ut *Astodius* methodum formandi studia; *Posselius* rationem studiorum recte instituendam; *Crausinius* regulas discentium; *Kircherus* artem magnam sciendi; itemque *Franckius*, *Grosserus*, *Langius*, *Weissus* Zittauensis, *Weissus* Altenburgensis, ceteri, egregia huius generis scripta luci exposuerint publicae: maxime tamen praeclaris his monumentis *Lockius* de liberorum educatione, ac *Edmundus Richerius* in obsterice animorum, ad omnem memoriam se commendaverunt. Quo in negotio quum AVTORVM lectio non minimum punctum ferat: alios in hanc ire sententiam, non unum, sed plures simul autores adolescentum manibus terendus esse, ut ad librorum notitiam perveniant, celare haut possum; esse, qui Clarissimi *Meibomii* iudicio subscribant: Notitiam librorum dimidium studiorum, et maximam eruditionis partem exactam habere librorum cognitionem; neminemque vere Theologum, aut Iureconsultum, aut Medicum dici posse, nisi qui eorum acquisierit notitiam. Hanc tamen sententiam alios assensu non comprobare, qui *Quintilianum*, acerrimi virum ingenii et artis rhetoricae magistrum optimum *lib. X. Orat. Instit.* audiunt, Lectio, inquam, libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed repetere saepius licet, siue dubites, siue memoriae penitus affigere velis. Repetamus autem et tractemus, et, ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius

lius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta, memoriae imitationique tradatur. Ac diu non nisi optimus quisque et qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter ac pene ad scribendi sollicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber vtiq; ex integro resumendus, praecipueque oratio, cuius virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. Traditis vero eloquendi praeceptis, non satis omnia ad vim dicendi valere arbitratur, nisi illis firma quaedam facilitas, quae apud Graecos *ἔξις* nominetur, accesserit. Eam et scribendo, et legendo, et dicendo consequendam esse, haut in vllum dubium est vocandum: ita enim sunt inter se connexa et indiscreta omnia, ut, si quid ex his defuerit, frustra sit in ceteris laboratum.

Quorum iam scripta, quod vnum prosequor, lustrare debeamus, quum in quaestione vocetur: tam fusc de scriptoribus disserit, tamque longus est in iisdem citandis, ut ferme nihil faciat reliqui. Accipiamus modo, quos legendos graeca lingua insignes commendat. *Homerus*, primus doctrinarum et antiquitatis parens, gregem ducit, in quo hoc maximum, teste *Velleio*, quod neque ante illum, quem imitaretur, neque post eum, qui ipsam imitari posset, inuentus est. Hunc excipit *Hesiodus*, cui palma in medio illo dicendi genere danda. Quem *Antimachus* sequitur, in quo et grauitas et minime vulgare eloquendi genus laudem habet, *Panyssi* alterum horum materia, alterum disponendi ratione superasse fertur. Inferior habetur *Apollonius* opere aequali quadam mediocritate edito. *Aratus* sufficit operi, cui se parem credidit. *Theocritus* vero in suo genere est admirabilis et *Pisander* Herculis acta bene exposuit. *Nicaner*, *Euphorion*, *Tyrtaeus* transeundi? Hunc subiunxit *Horatius* *Homero*; ille probatur *Mantuanus*; istum secuti sunt *Macer* atque *Virgilius*. Nec alii damnandi, quod in omnibus aliquid vtilitatis. Quod etiam in coenis grandibus saepe facimus, ut, quum optimis satiati simus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata sit. Elegiam si in manus sumimus, primas tenet partes *Callimachus*, secundas occupat *Philetas*, nec, quod in *Archiloco* summa vis elocutionis est, cum valida, tum breues vibrantesque sententiae, plurimum praeterea sanguinis ac neruorum, omittendus esse dicitur. Euoluendi quoque sunt Lyrici, quorum longe *Pindarus* princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia et velut quodam eloquentiae flumine: propter quae *Horatius* eum merito credidit nemini imitabilem. *Saechiforus* ingenio maximo est validus: ingentia quippe bella canens et clarissimos duces, epicae carminis onera lyra sustinens, personis reddidit in agendo simul loquendoque debitam dignitatem. *Aeacus* in parte operis aureo plectro merito donandus, qua tyrannos infectatur. *Simonides* sermone proprio et iucunditate quadam commendandus. Tragoedias primus in lucem protulit *Aeschylus*, isque sublimis, grauis, grandiloquus. Nec *Sophocles* et *Euripides* praetereundi, quorum alterum *Cicero* diuinum nominat, alterum talem, quo eius aevo nullus fuerit sapientior. Quem et admiratus maxime et secutus *Menander*, qui vel vnus diligenter lectus ad cuncta praecepta eloquendi effingenda sufficit. *Philemon* consensu omnium meretur a *Menandro* credi secundus. Historiam multi scripserunt praecitare: sed *Thucydides* ac *Herodotus* longe ceteris praeferendi. *Theopompus* his habetur proximus. *Phylisus* imitator *Thucydides*, multo quidem inferior, aliquatenus tamen lucidior. Nec *Clitarchus*,

nec *Timogenes* non attingendi. Hos oratorum comitatur manus: decem simul Athenis aetatem unam tulisse legimus, quorum longe princeps *Demosthenes* ac pene lex orandi fuit. In *Aeschinio* eloquentia diuini quid deprehenderunt *Cicero*, *Philocrates*, *Suidas*. Dulcis et acutus *Hyperides*; *Lyfias* subtilis et elegans; *Isocrates* in diuerso genere dicendi nitidus et comptus, omnesque dicendi vneres sectatus, *Demetrius Phalerenus* multum ingenii habuit et facundiae. *Plato* non hominis ingenio, sed quodam delphico oraculo instinctus in Philosophorum numero primo ponendus loco. In *Xenophontis* labris quaedam persuadendi dea sedisse legitur. Quid *Aristotelem*? quem dubitat Rhetorum primus, scientiae rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suauitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putet. In *Theophrasto* tam est eloquendi nitor diuinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur, Hos itaque arbitrat *Quintilianus* esse inspiciendos.

Quid vero, si et adductis plures adderem? Qui enim silentio premerem *Anacreontem*, gloriam Ionum, Lyricum suauissimum; *Hippocratem*, sui ordinis spectatissimum; *Aristophanem*, in Comicis haut postremum, exemplar dialecti atticae, quem *Chrysostomus* in tantis deliciis habuisse perhibetur, ut singulis noctibus eum cervicali substrauerit; *Archimedeum*, Mathematicorum celeberrimum, virum diuini ingenii, qui priorum omnium, *Vossii* sententia, luminibus obstruxit? Quis *Theognidis* sententias sua laude priuat? *Polybii* ciuili prudentia ac rei militaris fama a nemine superatur. *Apollodorus* ad Mataeologiae cognitionem est vilis. *Diodoro*, *Heinrici Stephani* iudicio, nihil Historicorum excellentius. Excideret mihi memoria *Pedarii Dioscoridis*, *Dionysii Halicarnassii*, *Strabonis*? quorum iste Herbariorum Dictator est *Scaligero*; ille tam grauis et vilis, ut inter omnes et graecos et Latinos Historicos vix vllus ei praefereendus esse videatur; hic magnus et nunquam satis laudandus scriptor verace *πολιτικός*, qui solus perspexit, *Boetii* testimonio, quantum et prudentiae et eruditionis a regionum descriptionum cupido requiratur. *Plutarchum* compendium eruditionis, prudentiae thesaurum et antiquitatum vtriusque gentis delum quendam *Apolinicum*; *Dionem* praeclarum quoddam *Amaltheae* cornu et aureae facundiae virum; *Lucianum* eruditionis praestantia et nitore stili conspicuum esse, constat. *Asprianum* habetur scriptor vilis, et Historicus eximius; *Aelianus* *μελίγλωστος* καὶ *μελίφθογγος*; *Ptolemaeus* Astronomorum pariter et Astrologorum princeps; *Arrianus* alter *Xenophon*. His comites facio *Athenaeum*, vere undequaque doctissimum, *Plinium* et *Varronem* Graecorum; *Pausaniam* omni auro graecae antiquitatis audis pretiosiore; *Galenum*, *Scaligeri* mente, pontificem Medicorum maximum; *Diogenem Laertium*, antiquitatis sedulum indagatorem; *Inisium Pollucem*, scriptorem optimum, eruditissimum et utilissimum; *Philistratum*, cuius, silius oleum olet; *Herodianum*, absolutissimi stili et iudicii Historicum; *Dionem Cassium*, *Thucydide* scripturae genere haut multo inferio, rem.

Hi praeceptorum modo Graecorum in laude versantur. Equis vero bonarum artium cultorum tantum scriptorum agmen vel comparare, vel plures ex his comparatos, etiamsi ad hoc studiorum genus iam inde a puero suam contulisset operam,

ram, percurrere, nedum a capite ad calcem diligenter posset legere ac relegere, lectionemque multa iteratione mollitam et velut confectam memoriae ac imitationi tradere? Idcirco *Quintilianus* non constare sibi videtur. Attamen re accuratius ponderata secum hautquaquam dissentit, nec virorum optimus suam permutavit sententiam, lectionem eo repetendam esse, vsque tenaciter memoriae inhaereat, discrimine modo actatum habito. Quando quidem ex ore inferiorum Classium Praeceptorum ludi literarii tyrones primis imbuendi elementis pendere incipiunt, vt crebra lectionis repetitio instituat ac diu non nisi optimus quisque legatur, sed diligenter ac pene ad scribendi sollicitudinem, consultum admodum existimo: in altiorum vero adscripti Classem quo assidua Magistrorum cura ac diligentia ad complurium eorumque classicorum perducantur cognitionem, id quoque necesse est.

Manifesto deprehensum compertumque habuit de Collegio Christiano optime meritus VIR SYMME REVERENDVS ATQVE EXCELLENTISSIMVS FRIDERICVS GOTTHELF GOTTERVS, S. S. THEOL. LIC. LONGE CELEBERRIMVS, EISENBURGENSIS AC CAMBURGENSIS DIOECESIOS SVPERINTENDENS AC P. P. VIGILANTISSIMVS, SIMVL AC CHRISTIANEI EPHORVS SPECTATISSIMVS, PATRONVS AEVVM VENERANDVS, studiosam iuuentutem, quo ad solidam eruditionem pertingat, optimorum autorum notitia carere non posse. Certo ac explorato consilio quod tantus Vir fecit, non tanti putarem, Grauiissimi huius Doctoris vestigiis insilire? Torquem ex auditorum meorum manibus autores Ipsi probatos? In quorundam tamen, quos priuatae eorum reliqui industriae, locum quum alios laude praestantes substitutos heic frequentaturi, quin immo totum Lectionum conspectum cognitum habere, pariter ac seire aueant nostrates, qui laborum cursus finito Examine habendus sibi desiderio cunctorum et notitiae non consulere aut facere satis, mihi certe religioni duxi.

M. IOH. DAVID GSCHVEND, RECTOR,

Publice vtrique Classi ad finem perducto de Praedestinatione Articulo, ad *Compendii* quidem *Hutteriani* ductum, finito c. D. Examine publico, Articulum de Bonis Operibus cum reliquis proponet. A VII. libr. *Mctam. Cuidii* ad VIII propediem progredietur, *Curtii* lib. IX absoluto lib. X explicandum curabit. *Scythionem* XV *Siruii* *Histor. Vniuers* excipiet XVI de Gallia. Cum Primanis a *Cep. I. Compend. Gramm. Ebr. Chald. Danzii* repetitionem instituet, Dictaque class. e *Koeberei* solvenda significabit. Pro *Horatio*, cuius alterum *Odarum* librum inchoauit enodandum, *Virgili* lib. II *Aeneidos*, vbi anno sublitie elapso, substituet. A III *Oratione* *Cic. in Catil. ad quartam* perget. *Logicam Zoppii* enucleatam iterum aperiet. *Pensio Logicae Vosio-Mitternathianae* absoluto reliquum horae spatium orationibus promta memoria habendis operam dabunt doctrinae alumni. Singulis Mercurii diebus ligatae orationis argumenta proponet, Saturni vero solutae.

Priuatim Oratoriae praecepta continuabit partim tradere, partim *Isocratis Orat. et Terentii Fabul.* explicare, quas lectiones *Mureto, Iulio Caes. Iustino, Ciceronis Offic.* susfecit.

XX

Pr

FK IIc 934

Privatissima Institutione qui utuntur, *Artici* vita exposita cum *Nepote* mutabunt *Plinii Epist.* simulque *Plutarchum Chaeronensem* audient, *Novo Test.* gracc. Idiom. propriae cuiusvis industriae et repetitioni relicto *Epistolarum* proxime aperiet; in *Officiis Cic.* vero perget: vtriusque enim libri autores ad morum institutionem et correctionem non inidoneos putat. Nec lectionem *Codicis hebr.* seponet, sed potius doctrinam de *Accentuatione* perutilem cum eodem coniunget.

Quod et nonnulli *gallicae linguae* studiosi sunt, singulis diebus *Mercurii* et *Saturni* se ad eorum ingenium accommodabit.

M. BARTHOLOMEVS WELCKERVS, CONR.

Publice Nou. Testam. gracc. ita tractabit, vt et primae Classis discipulorum rationem habeat et secundae Classis incrementis inseruiat. *Plutarchum* ea fide continuabit, quo nulli nauicam creet. *Welleri Gram. gracc.* praecepta temporis successu pariter enucleabit et tam adultioribus, quam tyronibus viam monstrabit, qua in solvendis Autorum pensis progrediendum. In *Epistolis Cic.* et *Corn. Nep.* nihil erudendum praetermitteret, quod laborat difficultate. Quoad *Gram. March.* se ad discendum caput accommodabit, vt nec difficiliora sicco pede transeat, nec facilioribus nimium immoretur. Inculcabit desuper *Prosoediae* regulas, ac tam *Geographiae*, quam *Ariabesicae* notitiam instillabit.

Privatim Nepotis vitas excellentissimorum Virorum exponet.

Privatissima Institutione nulli, cui est volupe ipsum audire, deerit, neminemque, praecepta eius habere percepta, poenitebit.

Quod superest, D. T. O. M. supplex adeo, vt hos labores Spiritus S. gratia atque auxilio fortunet, et discendum mentes flectat, quo vitae breuitatem, campum doctrinae amplissimum, suam salutem, patriae commodum, gloriam DEI ante oculos ponant, simul atque probe perpendant, aedificium ex fundamento non extructum corruere oportere.



MC

Fk. 135
1

Mc
934

*de scriptoribus graecis quas Christiani
non habent ad communes*

X 23A 6833

LECTIONES
 PER INTEGRI ANNI SPATIVM,
 A FESTO S. MICHAELIS clō Idcc XXXIX
 AD IDEM clō Idcc XL,
 SVMMO
 D E O
 ANNVENTE
 ET
 SERENISSIMO
FRIDERICO,
 PATRIAE PATRE OPTIMO,
 PROTEGENTE,
 SPECTATISSIMORVM CHRISTIANEI CVRATORVM
 AVCTORITATE,
 CLASSIS VTRIVSQUE SVPERIORIS
 DOCTRINAE ALVMNIS
 TRACTANDAS
 INDICIT
 M. IOH. DAVID GSCHWEND, R.

EISENBERGAE,
 LITTERIS B. FLEISCHERI DVCAL, TYPOGRAPHI VIDVAE

